





1758.

15

458/11

Q. D. B. V.

EX PHILOSOPHIA MORALI

De,

JUSTITIA  
UNIVERSALI

SUB PRÆSIDIO

M. GEORGII MEIERI,

Lünæburgensis.

*Publicè disputabit*

JOHANNES ADOLPHUS HÖLTICH

Lauenburg. Saxo.

*Ad diem 9. Novemb. Horis matut.*

*in Aud. minor.*



WITTEBERGÆ  
LITTERIS HENCKELIANIS.  
ANNO M. DC. LXI.

ms.



113

M. D. C. C.

EX ERUDITIONE M. D. C. C.

DE

IUSTITIA  
UNIVERSALI

SUB PRÆSIDIO

M. GEORGI MEIERI

Lindenburgensis

Philosophiae

JOHANNES ADOLPHUS HOLTICH

Landenburgensis

Ad hunc a. M. D. C. C. H. D. M. D. C. C.

in hunc hunc

—————

WITTEBERGÆ

LITTERIS HENCKELIANIS

ANNO M. D. C. C.





I. N. J.

# Præloquium.



Gesilaus, utrum *Fortitudo* *Justitiã* virtus esset præstantior, interrogatus, reposuisse, Plutarcho referente, in *Lacon*. A- fertur: *Fortitudinis* nullum esse u- sum, nisi adsit *Justitia*. Responsum satis prudens, quo præter æquum nihil alicubi statuit patrandum.

Tanta enim *Justitiæ* est præstantia, ut secundum tri- tum apud omnes verbum, virtutem in se complectatur omnem. Et velut in cithara, scribente Lipsio, si vel unica fides discrepat, concentus & harmonia perit tota: sic *Justitia* si in uno aliquo delinquas. Quæ cū comparata ita sint, *Justitiã*, quam vocant, *Universalem*, virtutem totam, utilissimam, nobilissimam, & in omni vitæ genere per- quàm necessariam in palæstram producere disputato- riam juvat. Tu justissime Jesu juva!

SECTIO I. ΘΕΡΗΜΑΤΙΚΗ.

THESIS I.

**J**ustitia Universalis est habitus moralis, aptos reddens homines, ut justa agant & velint conservanda socie- tatis causâ,

A 2

Εκ-



*Onomatologia* **N**E δὲ τῆς ἰσότητος, quod dicitur, statim aberremus, PRA-  
*cujus* GMATOLOGIÆ præmittemus ONOMATOLOGI-  
*Etymologia.* AM, quam in tria communiter sic dicta dispecimus capita,  
*allusiva.* *Etymologiam* sc: *Homonymiam* & *Synonymiam*.

*Lib. de invent.* §. 2. *Etymologiam* quod concernit, *Justitia* *universalis* est  
*c. 5.* *complexum* voce. *Justitia* verò deducitur (1.) *Allusivè*. Ita qui-  
*Grammatica.* dam volunt *Justitiam* dictam quasi *Vistitiam* per literarū inver-  
*Logica.* sionē, quod vim sistat, & nos ac nostra sistat tuta: Alii ut Agri-  
cola deducunt à jubendo, eò, quod *justitia* jubeat faciendā.  
Noñnulli, citante Becmanno in *Originibus* LL. p. 778. *justitiam*  
descendere tradunt à Jove, juris & *justitiæ* omnis autore &  
qs. patre. (2.) *Grammaticè*, prout *justitia* derivatur vel à *jure*,  
factā denominatione ab objecto, quod *justitia* sit juris sta-  
tus, suum cuique sistens jus: vel à *justo*, respectu ad subjectum  
habito. Ita Scaliger *Lib. 3. de Caus. L. L.* & Flacius parte 3. *Clav-*  
*is*, Martinus Bambanius in *Tirocinio Ethico Aristotelico*  
*cap. XI. p. 140.* (3.) *Logicè*, qt. *justitia* est abstractum & tan-  
quam forma, à quā denominantur jus & *justus*, testibus *Isido-*  
*ro Lib. 5. Etym. c. 3.* *Universalis* autem appellatur *justitia*, non  
quod de singulis virtutibus, ut de fortitudine, temperantia,  
& aliis, tanquam genus prædicetur, sed quia velut exercitus  
omnes milites, mundusque omnia corpora: ita illa omnes  
actu virtutes complectitur, juxta illud *Theognidis* ab *Aristo-*  
*tele Lib. 5. Eth. Nicom. c. 2.* citatum.

Εν δὲ δικαιοσύνη συλλήβδην πασ' ἀρετῆς ἐστ.

Hinc ut habet *Casus Lib. 5. Spec. Moral. p. 216.* & ex eo *Chri-*  
*stianus Matthiæ Lib. 3. Syst. Eth. Exercit. 9. θ. 3. p. 250.* ex *Indis*,  
illi, qui appellabantur *Pedalii*, nihil ferè aliud à *Diis* immor-  
talibus petebant, quàm *justitiam*, arbitrati, se omnium planè  
compotes futuros, si hanc modò forent consecuti, quando-  
quidem in hujus unius pectore omnes reliquæ virtutes, tam  
moris, quàm mentis, non aliter quam *sidera* in cælo lucent.

*2. Homony-* §. 3. *Homonymia* vocis *Justitiæ* est varia. Nam usurpa-  
*mia.* tur illa 1. *Extra Philosophiæ Sphæram*, in sensu partim *Poëtico*,  
pro



pro Dea, (quod à Jovis filia, Astræa Græcis dicta, assidente Patri, & læsâ pœnas injuriæ vindices exigente) quam coluere gentiles, quæ vitiiis hominum crescentibus in cœlum subvolasse fingitur ab Hesiodo 1. ἔργων v. 195. & Ovidio Lib. 1. Metamorph:

— & virgo cæde madentes  
Ultima cœlestum terras Astræa reliquit.

Partim oratorio, tum pro officio defunctis præstito. Unde justa illa persolventes dicti sunt justî; tum pro equali præda distributione, inter prædones servatâ. Cic. Lib. 2. Offic. Partim Theologico. Et sic iterum sumitur vel essentialiter, & eminenter, prout ipsi Deo tribuitur: vel dependenter, seu per participationem, prout vel ad Angelos, vel ad homines solet restringi. 2. intra Philosophiam, ubi justitia accipitur (α) improprie & Analogice quatenus naturalem notat inclinationem etiam feris suo modo competentem, sicuti Ælianus Lib. 5. de animal. c. 39. Leones vocat fortes, & de justitiâ in Delphinis deprehensa, ex eodem laudati scribunt Autores. (β) politicè prout in foro exercenda, seu pro obedientiâ legati. (γ) Ethicè, quatenus partim sumitur generaliter, pro justitia communi, quâ de agit Aristoteles Lib. 5. Ethic. ad Nicom. c. 1. quo sensu extenditur ad omnem, quod legibus & juri est consentaneum, dicente B. Hornejo Lib. 3. Phil. Moral. c. 4. num. 2. p. 427. partim specialiter, pro peculiari aliquâ virtute. De hac infra, de illâ in præsentî agimus thesi.

§. 4. *Synonymia* vel sunt Græca, ut quando Justitia dicitur δικαιοσύνη, ἢ ἡ δὲ τὸ δίκαιον, quod secundum Aristotelem Lib. 5. Ethic. c. 7. est διὰ τὴν δίχα à bipartito, quia in duas æquales partes rem scindit, neutri parti plus minusve ratâ portione tribuens. Philosopho vocatur ἀρετὴ πλεία πρὸς ἑτέρου loco citato cap. 1. virtus perfecta ad alium. Τελεία, siquidem est omnis virtus, seu virtutum omnium complexus: πρὸς ἑτέρου, quia justitia est bonum κοινωνικὸν & ἀλλότριον communicativum & alienum, non sibi sed aliorum inserviens utilitati. Latina. Sic Cic. Lib. 1. Rhet. justitiam dicit æquitatem, cum quo facit Casus Lib. 5. Spec. Mor. cap. 1. Reinerus Neuhusius verò

in Exam. Phil. p. 253. hæc duo differre ostendit; *Justitiam* enim dicit notare actionem rectam; *æquitatem* verò mentis rectitudinem. Nos in lata acceptione termini æquidatis, non in propria duo illa dicimus Synonyma. Siquidem æquus non nihil interdum de jure suo remittit. Justus verò jus suum urget simpliciter. Aliis ex Lib. 5. Ethic. cap. 7. Arist. vocatur *virtus tota*, non *absolutè*, quasi omnis generis virtutes tam intellectuales, quam morales contineat, quo in significato vocem hanc usurpatam legimus ab Aristot. Lib. 2. Eudæm. c. 1. & Lib. 6. Ethic. c. ult. ubi sapientiam totius virtutis appellat partem; sed *limitatè*, in quantum omnes virtutes certi generis, nempe morales includit.

II. Pragmatologia  
ubi  
(1) conceptus communis.

§. 5. Ad Pragmatologiam devenimus, circa quam notandus (1) *conceptus communis*, qui est *habitus moralis*. Neque enim per virtutem definienda *Universalis justitia*, ut quidem cum Thoma contendunt plurimi. Nam non tam virtus est, quam virtutes & virtutum congeries, pronunciant B. D. J. Martini Lib. 2. Ethic. p. 378. Quocirca virtus generis loco stare non potest, cum justitia in communi sumpta, non sit virtutis quædam species, sed *tota virtus*, & particularium virtutum complexus, ut ita virtus ac justitia idem sint re, seu, ut communiter loquimur, subjecto, non tamen ratione, seu quoad mentis nostræ conceptum Benè Exc. Dn. D. Michaël Wenderus, c. 10. Phil. Pract. p. 356. *differre*, ait, *à reliquis virtutibus, non realiter, sed ratione seu formaliter*. Vide fis B. D. Horneum l. d. p. 431. sq. Neque etiam propterea, quod genus hoc nimis videatur remotum, terminus virtutis statim debet substitui. Quando enim justitia h. l. latissimè accepta omnes comprehendit virtutes, iisque nec latior est nec angustior (genus autem latius esse semper debet) manifestum inde evadit, virtutem genus Justitiæ universalis esse non posse. *Dices*, ipsum tamen Philosophum loco citato asserere, justitiam universalem & virtutem moralem differre *τὸ εἶναι*. Verum res est in vado. Non intelligi ibidem per *τὸ εἶναι* distinctionem realem, quasi differant totâ essentia, sed modum potius essendi, Autores laudati evincunt satis. Sen-



Sensus namque verborum Aristotelicorum hic est : Modus  
essentiæ aut etiam existentia non est idem. τὸ εἶναι siquidem  
idem est, quod λόγος τὰ εἶναι, sed λόγος τὰ εἶναι diversus  
non infert reale aut essentielle aliquod discrimen, sed ut vo-  
cant, tantum formale, aut rationis ratiocinata. Confer. Lib.  
6. Ethic. Nicom. cap. 8. & Lib. 1. de Gener. & corrupt. cap. 5.  
text. 41. *Excipies*, in superioribus tamen dictum est, quod  
justitia communis sit virtus perfecta & tota. Ab aliis igitur di-  
stincta erit realiter. Verum nego sequelam. Non equidem spe-  
cifica inde infertur distinctio, cum Aristoteles imitetur lo-  
quendi modum Græcis usitatum. Proporrò non nudè & in se,  
sed in usu & exercitio spectata atque ad alios relata universa-  
lis justitia dicitur virtus tota. Virtus enim ut est habitus re-  
fertur ad habentem, cui inest, quem perficit bonumq; reddit  
& aptum ad moraliter agendum. Justitia verò Universalis  
refertur ad aliud & diversum, cui inservit, suppositum. Sed  
quid igitur, inquires, addit Aristoteles justitiam universalem,  
si re conveniat cum virtutibus aliis, supervacanea sane quàm  
erit, ut quinta currui rota. At verò minimè frustra Aristote-  
lem arbitramur reliquis virtutibus adjecisse justitiam uni-  
versalem, Argumentor hunc in modum :

*Quaecunque virtus bonum ad publicam utilitatem promovet,  
& dirigit, quod relique virtutes saltem privatim respi-  
ciunt, illa non temerè adjicitur aliis. Atqui justitia uni-  
versalis promovet & dirigit bonum, quod relique virtu-  
tes respiciunt privatim. E.*

Major constat. Minorem declarant exempla. Per fortitudi-  
nem, temperantiam, liberalitatem, modestiam &c. sibi quis-  
que vivit fortiter, temperanter, liberaliter &c. Ne ergo quis  
sibi soli & in occulto vivat fortiter, temperanter &c. sed ut a-  
liis eum vivendi modum communicet, universalis adjicitur  
justitia, omnes respiciens virtutes. Nam justitia est virtus  
communicativa, Arist. lib. 3. Polit. c. 8. non sibi, sed aliis  
consulens, foràs spectat ( ut habet Cicero ) totamque ad a-  
lienas se explicat utilitates. *Sublatâ nempe justitiâ, Cicero-  
nis affero judicium, liberalitas, bonitas, beneficentia, funditus*

*Lib. 2. de Re-  
publ.*

*Lib. 1. Offic.*

sol.

colluntur, quæ quæ tollunt etiam adversus Deos immortales impii sunt judicandi.

§. 6. Obstarè dictis videtur, quod absurdum sit dicere justitiam omnem complecti virtutem. Quid enim opus foret reliquis? At absurdum hoc esset, si justitia & virtus planè unum essent & idem. Sed non hoc, E. nec illud. Aut enim virtutes referuntur ad habentem quatenus ratione subjecti & objecti spectantur, atque sic inter se distinguuntur ac variis gaudent nominibus: aut respectu habitus attenduntur, quatenus spectant communionem seu societatem politicam, & ad alios quoque pertingunt & bonum fiunt alienum, sicq; comprehenduntur justitiæ universalis ambitu. Quæres autem numquid igitur justitia, quia omnes continet virtutes, cum reliquis virtutibus, unum omnino erit & idem? Quoad rem sive Objectum concedo; formaliter nego. Neque tamen inde colligitur, justitiam sic quoque intellectuales complecti debere virtutes, à quibus tamen specie est diversa. Neutiquam, quia quando justitia omnes dicitur complecti virtutes, morales tantum, non verò intellectuales attenduntur.

2. Conceptus  
Proprius sistit  
(1) Subjectum

(2) Objectum.

§. 7. Conceptus 2. Proprius exhibet ( $\alpha$ ) Subjectum, quod est Homo, non spectatus absolute, sed prout aliis societate est conjunctus, cum primis autem rectæ reipubl. socius, sive imperantium, sive parentium ordini sit addictus. *Laudabile est*, ait Cassiod. in Ep. *ut bonus populus judicem benignum faciat, & mansuetus judex gratisimum populum æquabili ratione componat.* Benè! Nam Resp. sive sit institutio civitatis, sive res populi, nisi justè gubernetur, non habenda est, neque Resp. neque civitas, neque populus, ut habet Hieronymus Vida de dig. Reipubl. Lib. 2. ( $\beta$ ) Objectum, quod sunt *justa quæ agimus & volumus*, id est jus vel justum, & omnia aliarum virtutum objecta, seu actiones, quia justitia universalis omnes in se virtutes continet, & per eam omnibus legibus præstatur obedientia: Leges quippe de omnibus præscribunt, & volunt, ut homines omnibus virtutibus sint instructi, & juxta eas instituunt vitam. Notandum verò insuper est, quod jus sive justum dupliciter possit accipi (1.) Sub-

jecti-

*jectivè*, prout notatur illa res, in qua velut in subjecto forma (quæ justitia salutatur) hæret. (2.) *Objectivè*, pro re vel actione, in quam velut in Objectum ipsa tendit justitia. Neque tam ipsum jus & justitiæ Objectum, quàm id quod est justici capax, ut sunt actiones hominum, & omnia reliqua in quibus virtutum usus, sed ad alios maximè relatus, conspicitur.

§. 8. Tria verò in data definitione circa hoc objectum requiri notantur, (1) *δύναμις* seu facultas, quâ homines idonei facti dicuntur ad justas actiones, i. e. quod habeant vim & facultatem agendi ea, quæ sunt justa. (2.) *πράξις* seu actio, quâ per justitiam justa sunt agenda. Neque enim (ut rem l. c. egregiè exprimit Wendelerus p. 395.) *sufficit habere facultatem agendi ea, quæ justa sunt, sed opus est ut facultate istâ in actum perductâ, justa agantur. Omnis namque virtutis laus in actione consistit.* (3) *βέλησις* seu Volitio, quâ per justitiam ea quæ sunt justa velimus, expectemus & constanti voluntate eligamus necesse est. Quisquis enim forte fortuito, aut ignorans & invitus justa agit, laudem justè factorum non meretur. *περὶ αἴθεσις* E. requiritur quâ certo animi proposito, ea quæ secundum virtutem sunt agimus.

*Requisita Objecti.*

§. 9. Tandem ( $\gamma$ ) differentia exhibet *finem*, qui est conservatio societatis politicæ. Non enim universalis dicitur justitia ratione esse sui, quasi essentia tam latè pateat, quàm ipsius virtutis, sed ratione efficaciam tantùm, siquidem doceat ceterarum virtutum actus ad communem utilitatem referre.

(3) *Finis*

§. 10. Et hætenus examinata Universalis justitiæ definitio est, ex qua sequi videtur, quod cum justitia universalis sit ejusmodi habitus, quo justa facimus & volumus, justitia in nobis non detur, quando nec volumus nec facimus justa, quod tamen falsum. Verùm est fallacia consequentis. Non justitiam definimus habitum, quo agimus & volumus, ac si semper, non intercedente aliquâ morâ aut cessatione agamus aut velimus justa; neque quasi dum cessamus ipso actu facere aut velle justa, injusti statim evaderemus. Sed intelligenda data venit descriptio ex hypothese, quòd nempe homo justus ex justitia & per eam agat velivè justa, si scilicet velit &

B cui

cui oportet ac decet. Atqui non semper oportet aut decet. Neque voluntas hoc loco expellit justitiam, sed & per voluntatem & per justitiam justa volumus: Per *illam* velut per *deum*, per *hanc*, ut per *ξ*. Regerat aliquis, cur non potius dicatur, quod per justitiam agamus justè, quam justa, cum non qui justa, sed qui justè agit, justitiæ habitu sit præditus. Sed responsio est in promptu. Nimirum qui justa vult, & agit per justitiæ habitum, is etiam non nisi justè ea vult & agit, quando quidem justè agere ac velle efficiat habitus. Supervacaneum itaque fuisset *ly* justè repetere, per vocem habitus jam indigitatum. Quotusquisque enim ex habitu justa agit, aut vult, justè idem agere aut velle rectè dicitur. Unicum addo, quod justitia à nobis in abstracto definiatur per verba concreta utpote nobis notiora.

## THESIS II.

*Oppositum:*

Justitiæ Universali opponitur Universalis injustitia, quæ est habitus vitiosus, quo omnes leges ad turbandam societatem transgredimur, licet illa uni subiecto inesse nequeat, ob vitiorum inter sese contrarietatem.

*Definitum:*

*1. Paronymia:*

*2. Synonymia:*

*Ex Jeno*  
§. 1. Oppositum *justitiæ universalis* appellatur *Universalis Injustitia*, cujus & definitum & definitionem evolvemus breviter. *Definitum* quod attinet, notanda (α) *Paronymia*. Universalis injustitia dicitur, non quod *absolutè* & *indiscriminatim* omnia complectatur vitia. Non equidem qui est avarus, etiam est simul prodigus; neque qui timidus infimul est audax; sed *secundum quid* & *limitatè*, quod omnia quæ sunt composibilia (ut loquitur Petrus Musæus in disp. morali de just. §. 26.) contineat. (β) *Synonymia*. Græcis, teste Philosopho Lib. 5. Eth. Nic. cap. 2. injustus appellatur *παρὰ νόμον*, illegalis, quia legibus ad publicæ societatis conservationem institutis adversatur. Vocatur etiam *totum vitium*. Pugnans quippe (verba repeto D. Wendeleri l. c. pag. 357.) cum *universali justitiâ omnium* & *singularum virtutum extrema*, tam in excessu, quàm in defectu, quatenus ad bonum publicum minnuendum, aut quocumque modo labefactandum referuntur. Et  
sic

sic nihil aliud est, quam integrum vitium. Ex disputatis claret, non reapse, sed formali tantum ratione à vitio toto distingui injustitiam universalem. Totum nempe vitium audit, in respectu ad subjectum, seu hominem cui inest, & quem ad pessima quæq; exstimulat atq; impellit. *Injustitia* verò *Universalis* ad Remp. habet respectum, adeoque re ipsa quidem totum est vitium, sed quatenus actus inde profecti præscriptis legibus contrariantur, ipsam Rempubl. interturbant. Evincit idem ratio oppositorum. Sicut enim *Communis Justitia* virtus est tota: sic quoque communis injustitia totum est vitium. Et sicuti fortiter, temperanter, modestè &c. vivere, ad justitiam pertinet universalem: Ita fugam adornari, clypeum in prælio abjicere, bona sua dilapidare, fornicari, adulterari, omnium voluptatum illecebris implicari &c. ad injustitiam spectant universalem.

§. 2. *Definitio* absolvitur tum *conceptu latiori*, qui est habitus vitiosus; tum *differentiali*, qui (1) *formalem* sistit rationem quæ est posita in legum omnium transgressione. Hæc autem transgressio non tantum est omissionis, quatenus omittuntur facienda contra legis præcepta positiva seu affirmativa, sed & commissionis, quæ omittenda fiunt contra præcepta legis negativa. (2.) *Subjectum*, quod h. l. non convenit planè cum subjecto justitiæ universalis. *Idem est discriminis*, notanter l. c. laudatus subjicit D. Wendelerus, quod *justitia universalis in uno esse homine possit; Injustitia verò minimè*. Rationem nostram habet descriptio, vitiorum inter sese contrarietatem. Dupliciter namq; se habent vitia: Alia sunt *compossibilia*, quæ non sunt contraria, ut Audacia, Intemperantia, prodigalitas, iracundia, & omnia vitia diversis virtutibus opposita: Alia verò sunt *Incompossibilia*, quæ inter se opponuntur contrariè, velut duo unius ejusdemq; virtutis extrema, verbi gratia Audacia & timiditas, Intemperantia & stupiditas, Avaritia & prodigalitas &c. quæ dicuntur Non-compossibilia, quod in eodem subjecto coexistere non possunt. (3.) *Finem*, qui est *turbatio societatis*. Sicut enim justitia universalis facit ad societatis politicæ conservationem, uti illud in superiori theoremate fuit ostensum: ita è contrariò Injustitia communis ad alios relata publicæ societatis est turbatrix, secundum illud Verini:

Nil injustitiâ miseræ est infestius urbi  
Funditus hæc muros vertit & ipsa domos.

SECTIO II. ΕΑΕΤΤΙΚΗ.

Problema I.

Quem respectum Jus ad Justitiam habeat? Resp.

*Varia  
Autorum  
sententia.*

§. 1. Non convenit de quaesito inter Philosophos, dum nonnulli (1.) cum Bambamio l. c. Keckermanno Lib. 1 Syst. Eth. c. 4. Jus dicunt justitiæ objectum, rationem asserti desumentes à natura conjugatorum. Idem enim est concreti & abstracti, artificis & artis objectum. Jam objectum justitiae sunt leges seu jura; Circa hæc namq; versatur & ad ea vitam suam accommodat. E. & justitiæ. Majorem firmanant, quia concreto competit, quicquid ei competit per abstractum, cum hoc sit concreti forma. Alii cum Henrico Gutberleth in Eth. c. 25. Liebenthalio Colleg. Eth. disput. 13. §. 2. & 35. Caselio disput. 9. Ethic. §. 28. p. 219, cum hic ponunt juris ad justitiam respectum, quem ad causam habet effectus, ita ut jus sit effectus justitiæ. Invertentes hoc alii, respectum hunc dicunt esse eundem, quem ad effectum habet causa, quia jus ad justitiam impellat, adeoque ejus sit medium seu causa adjuvans.

*Questio -  
nis decisio.*

§. 2. Hic ut quid statuendum sit appareat, repetenda (1) data à nobis sect. 1. §. 7. distinctio est, quat. jus sumitur vel *essentialiter*, seu *subjectivè*: & qt. *objectivè*: Priori sensu justitia & jus sunt unū & idem, qt. ambo sunt in subjecto justo illudq; denominant. Idem enim est Justitiæ Doctor & Justitiæ Sacerdos, ut ita neutrum ab alio descendat: in posteriori autem Justitia à jure denominatur. Ubi tamen (2) observandum venit, vel quaestionem *esse de ratione nominis*, & sic Justitiam à jure esse deducendam, non contrà, tutò asserimus; vel *de rebus*, quæ per voces significantur, i. e. respectu ipsarum rerum nominibus significatarum, & sic distincta incedendum via est. Aut enim Jus accipitur pro medio, quo Justitiam consequimur, quomodo Jus respectum habet causæ efficientis seu impellentis; Justitia verò respectum effecti, ut tertia voluit allata quorundam opinio: aut pro justo, quod à Justitiæ producitur habitu, quo pacto Jus induit rationem effecti, justitia verò rationem causæ, per sententiam secundam supra. Primam E. quod concernit opinionem, ea itidem secundum quid probari ut vera potest. Sunt enim leges objectū docentis, sicut ars artificis, sed nō utentis, cujus potius mediū sunt aut effectū. Rem hisce absolvit Adrianus Heerebord. Coll. Eth. d. 29. §. 2. p. 118. *Circa jus, inquit, occupatur justitia vel antecedenter, tanquam ejus*

can-

causa, ut cum quis per justitiæ habitum jus alteri facit, & actum justitiæ exercet: vel consequenter quod est effectus juris, in quantum secundum leges agendo quisquam habitum justitiæ sibi comparat. Si priori spectetur modo justitiæ, nullum est dubium, quin jus descendat à justitiæ, sin autem posteriori, justitiæ à jure venit.

Problema II. An Justitiæ Universalis sit peculiaris virtutis species à cæteris distincta? Resp.

§. 1. Per virtutem definiunt Justitiæ universalem Thomas secunda secundæ q. 28. art. 6. Petrus Molina Tom. 1. de Just. & jure tract. 1. d. 1. n. 1. Dominicus Soto Lib. 3. de Justitiæ q. 2. art. 5. Greg. de Valentia Tom. 3. disp. 5. q. 2. puncto 2. Carolus Franciscus d' Abra de Raconis sect. 3. Eth. art. post. memb. 2. p. 83. Don Pius Cassetta de Olibano Spec. Eccles. part. 1. distin. 3. c. 9. §. 3. p. 461. quos sequitur Stahlius in Eth. c. XI sect. 2. p. 198. Siebenthal l. c. §. 6. p. 135. Alii contra secuti Aristotelem Lib. 5. Eth. c. 1. & Buridanum, ut B. D. J. Martini Lib. 2. Eth. p. 378. D. Hornejus in Phil. Moral. Lib. 3. e. 4. n. 2. D. Wendelerus in Phil. Pract. c. 10. p. 356. Antoni<sup>o</sup> Iterus Lib. 3. Eth. Gutkiius disput. XI. Eth. §. 12. aliiq; plurimi, non per virtutem, sed virtutis habitum Justitiæ universalem esse describendam contendunt, quibus & nos nostrum adjecimus calculum sect. 1. §. 1. §. 2. supra.

Varie  
Autorum  
sententia.

§. 2. Quam sententiam nostram ut magis reddamus conspicuam, pro stabilienda illa rationem desumimus ab *objecto justitiæ universalis*, quod sunt omnes omnium legum virtutumque actiones, quas illa ad publicam ac politicam salutem dirigit. Atqui nulla virtutum particularium ita se habet, id quod in confesso est, sed virtutes differentes distinctis gaudent objectis, unde & earum distinctio desumi ab objectis solet. Jam verò Justitiæ universalis seu legalis nullum aliud est objectum, quàm cæterarum virtutum. Quicquid enim lex præcipit, ad universalis Justitiæ objectum spectat: Lex autem singularum virtutum actiones præcipit. Ita v. g. fortitudini imperat, ne deserat aciem, mansuetudini, ut temperet iram, temperantiæ ut vivat frugaliter &c. E. Justitiæ universalis objectum à cæterarum virtutum objectis non differt realiter, & per consequens neque Justitiæ ab ipsis virtutibus.

Probatio  
sententia  
vera.

§. 3. Objiciunt in contrarium Aristotelem l. c. agere de Justitiâ universali, ut de certa virtutis specie. E. probabilius est, ipsam esse virtutem specie distinctam à reliquis. Resp. Probabile hoc est,

Refutatio  
falsa.

B 3

sed

sed non omnibus, non statim sapientioribus. 2. Nulla est sequela. Aristoteles l. c. agit de Justitiâ universali, ut de peculiari virtutis specie. E. est peculiaris virtus, cum neq; Aristoteles ab errore fuit immunis, neq; quis, sed quid, ac quomodo dicatur, venit attendendum. 3. Contrarium non probabile, sed verum efficitur ex Lib. 5. Arist. Eth. c. 3. ubi hæc habet verba: Sunt (sc. Justitia & virtus) idem (re ipsa) esse tamen (i.e. formale) non est idem. Confer quæ supra sect. 1. §. 5. disputata sunt fusiùs.

Problema III. An bona sit definitio Justitiæ Jureconsultorum quâ illa dicitur constans & perpetua voluntas, jus suum cuiq; tribuendi? Resp.

*Opiniones  
diversæ.*

§. 1. Reperitur data definitio apud Ulpianum l. 10. ff. de Just. & jure, nec non in instit. Imperatoris Justiniani Lib. 1. Tit. 1. de Justitia & jure §. 1. quam calculo suo pleriq; hodie Jurisconsulti comprobant. Nos Philosophorum de eadem judicia hæc vice exponemus brevibus. Sunt autem ex his 1. qui eam reprehendunt audacter, ut Buridanus Lib. 5. Eth. q. 2. Thomas secunda secundæ q. 58. Timplerus Lib. 3. Eth. General. c. 10. q. 5. Sed sunt 2. qui eam ut longo usu frequentatam admittunt, & cum Aristotelica conciliare præsumunt, non nisi dissensum nominalem inter eas, realem verò consensum agnoscentes. Ita Casus in Spec. Mor. l. c. Kilianus Rudrauffius in institutionibus moralibus Christiano-Peripateticis de Justit. p. 326. Liebenthalius Coll. Eth. Exerc. 13. q. 3. p. 141. D. Christ. Matthiæ Lib. 3. Systh. Eth. disquis. 1. p. 254. eam, si ad exactæ definitionis libellam expendatur, non esse accuratissimam dicit, quia non debet animi facultas confundi cum habitu; tolerari tamen eam posse asserit, si cum aliquo benigno interpretationis temperamento sumatur, & metonymicè, metonymiâ Subjecti, per voluntatem intelligatur habitus volendi. Inter hos verò qui eam rectè explicatam, ut bonam assumunt, nondum convenit, num ad divinam referenda sit virtutem, quod ex Commentatoribus in Institut. Just. volunt Vulteiùs & Franciscus Accursius, an verò ad humanam eamq; tam universalem quàm particularem, ut cum Matthæo Wesenbecio vult Ungepauerus & Baccovius in comm. in instit. l. 1. tit. 1. text. 1. p. 2. n. 4. vel ad particularem tantùm, ut cum Jcto Joachimo Mynsingero à Fründeck in Scholiis censent B. Horneius p. 449. Gutkius, Kilianus Rudrauffius l. c. aliique, quam sententiam priori ducimus præferendam.

§. 2. Duo



§. 2. Duo nos tentabimus breviter 1. verum definitionis Ju-  
 reconsultorum sensum eruemus. 2. in perfectam definitionis Phi-  
 losophicæ formam redigemus. Quoad *prius*, notandum loco ge-  
 neris ( $\alpha$ ) per *voluntatem* non intelligi actum volendi primum seu  
 facultatem; neque ipsum actum secundum & volitionem; sed per  
 metonymiam causæ pro effectu, voluntatem sumi pro habitu, a-  
 ctum istum efficiente. Unde & ( $\beta$ ) dicitur *voluntas constans tam an-*  
*tecedenter*, quia ex constanti & firmo proposito debet proficisci,  
 quàm *consequenter*, quod non iusta, sed iustè agere tenetur vir iustus.  
 Additur ( $\gamma$ ) quod sit *perpetua*, non ratione existentiae seu subjecti;  
 sed essentiae. Posito enim nullum reperiri hominem iustum, iusti-  
 tia tamen in se constans erit ac perpetua. Loco differentiae quæ ab  
 officio desumpta. ( $\delta$ ) habentur verba: *jus suum cuique* (sc. debitum)  
*tribuendi*. Per *ly jus suum* denotatur id, quod secundum leges  
 Justitiæ debetur Per vocem *cuiq;* duplex involvi volunt subjectum,  
 domesticos & alienos, illos primariò, hos verò secundariò.  
 Verbum *tribuendi* (non ut aliis placet, tribuens) latè accipitur, ut  
 non tantum ad distributionem sed ad commutationem quoq; re-  
 ferri possit. Sic v. g. Emptor pro mercibus precium solvens vendi-  
 tori, ei tribuit suum. Benè tamen à nonnullis additur, hinc insimul  
 includi actum abstinendi ab injuria. Hic E. est definitionis sensus,  
 quod *justitia sit habitus confirmatus, quo volumus unicuiq; suum, i. e.*  
*quod secundum leges justitiæ debetur, tribuere*. Undè quod Philo-  
 sophus *Logicè* dicit habitum in voluntate; JCtus oratoriè vel Rhe-  
 thoricè ipsam appellat voluntatem. Interim, ut ad *posterius* redeam  
*promissum*, non fortè in JCtorum incurret odium, si quis datam  
 ipsorum descriptionem in formam redigere Philosophicam velit  
 hunc in modum: *Justitia est virtus moralis, secundum quam aliquis*  
*constanti & perpetuâ voluntate jus suum cuiq; tribuit*. Hoc pacto, si  
 non omnis removetur difficultas, tolli tamen potest, quem pluri-  
 mi inter Aristotelicam & Justineaneam fingunt, dissensus, & o-  
 stendi realis inter easdem consensus.

§. 3. Restat ut ad verbariorum excipiamus tragulas. *Objici-* *Sententia*  
*unt 1. quod sola Dei voluntas sit perpetua.* Resp. Est fallacia homony- *false re-*  
*miæ.* Perpetuum enim aliquid dici potest dupliciter, *vel ex parte* *futatio.*  
*ipsius actus, qui perpetuò durat, & hoc modo solius Dei voluntas*  
*est perpetua; vel ex parte objecti, si quis nempe perpetuò aliquid fa-*  
*cere*

cere cogitat, & hoc ad rationem justitiæ requiritur, ut homo habeat voluntatem perpetuo & in omnibus justitiam conservandi 2. planè fallum est, quod definitio illa justitiæ divinæ debeat vel possit tribui. Cui enim Deus aliquid debet tribuere? nulli certè debet quicquam. 3. Cadit in hominem perpetua voluntas, non quidem quoad actum secundum; sed tamen, quoad habitum, intentionem & actum primum, qui sufficiens est. Neque enim eum statim dicendum ducimus injustum, qui semel à justitiæ aberrat semitâ; sed ut quis dicatur justus affectus potius ejus, quàm effectus venit attendendus. 4. dist. inter *essentiam* & *existentiam*. Non justus, sed justitiæ definitur, non quod in hoc vel illo reperitur subjecto, sed qualis esse de jure debet. *Obj. 2. Reddere suum cuiq; est judicis. E. in eo tantum erit justitia.* Resp. consequentia est nulla. Unius enim positio non est alterius exclusio. Judex reddit quod suum est, per modum imperantis; subditi verò per modum exequentis. Sed his concludemus di-

centes

Tibi Deo JUSTITIÆ GLORIAM!



Ad

*Politissimum Dn. Respondentem, Amicum  
dilectum.*

**D**iscite justitiam moniti & non temnere Divos;  
Hæc est Virgilii vox veneranda mei.  
Discis justitiam monitus, sequerisq; Jehovam,  
Et semper, justo quæ facienda, facis.  
Diceris ergo mihi justus studiosus ubique,  
Atque hominis justii præmia mille feres.

MICHAEL WENDELERUS  
D. & P. P.



ULB Halle

3


006 681 980



*Handwritten signature or mark*







15

156/11

7

B. V.  
HIA MORALI

# ITIA RSALI

ESIDIO  
I MEIERI,

rgensis.


*disputabit*

PHUS HÖLTICH

rg. Saxo.

*mb. Horis matut.*

*minor.*



BERGÆ  
NCKELIANIS.  
DC, LXI.

